

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Caspar Mauritius Georg Babatius

**Dissertatio Theologica Posterior De Invocatione Sanctorum Pontificiis opposita.  
Qua Praecipua Adversariorum argumenta, Thesi Catholicae opposita,  
proponuntur & refutantur**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738562580>

Druck Freier  Zugang



Ru. Kiel. 1657.

Leopar Mauritius, Brau  
Virt.: Georg Daberkow, Rost. Hop. II  
/c



Dissertatio Theologica Posterior  
De  
**INVOCATIONE**  
**SANCTORUM**  
Pontificiis opposita.

Præcipua Adversariorum argumenta, Theſſ  
Catholicæ opposita, proponuntur &  
refutantur.

Prosperante SS. Trinitate,  
ET  
Cum consensu venerandæ Facultatis Theologice,

In

Inclyta Rosarum Universitate,  
SUB PRÆSIDIO

Viri Admodum Reverendi, Clarissimi, &  
Excellentissimi

DN. CASPARI MAURITII,  
SS. Th. D. ac P. P. Ædisq; Marianæ Archi-  
diaconi meritissimi, Præceptoris, ac Pro-  
motoris sui æternūm venerandi.  
Publicæ disquisitioni proposita


GEORGIO BABATIO, Regiom. Borusso  
A. & R.

Habitur ad diem 26 Novemb. in Auditorio Majori.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI KILII, Acad. Typog.  
ANNO M. DC. LI.

1651

10.



§. 1.



Ux sit Pontificiorum de cultu cœlitum sententia,  
disp. I. § 5. ostensum est. Ne autem quod semel ad-  
misserunt frustra fecisse videantur, varia conquirunt  
sue sententiæ fulcra, qnæ præsenti disputatione, sub  
examen vocare, visum fuit. Non est tamen animus,  
omnia argumenta, quorum hic magnus est numerus  
comportare. Præcipua tangam, ab iis primū, quæ SS. Angelorum cul-  
tum persbadent, initio facto: deinde & iis, quæ Bb. hominum religiosam  
adorationem in speciem probabilem reddere videntur, occurrendo.

§. 2. Pro SS. Angelorum religiosâ invocatione, Argumentum.  
I. Quicunq; sunt exorati, ut secutura impios averterent mala, illi hoc ipso sunt  
religiosè invocati: quia talis deprecatione nihil aliud est, quam religiosa in-  
vocatio. Atqui SS. Angeli sunt exorati ut secutura impios averterent mala:  
Genes. 18.23. s. c. 19.19. s. E. SS. Angeli, sunt religiosè invocati, ergo hodieq;  
sine culpa religiosè invocati possunt. Resp. I. Hoc argumentum caret  
dicto de omni: Majorem enim non esse sufficienter distributam, ostendit  
instantia ex Act. c. 8.24. ubi Apostoli exorati sunt ut orarent Deum, pro  
avertendis malis, ob hoc tamen adorati non sunt, nec unquam se ado-  
rari passi sunt. Act. 10. 26, c. 14. 15. Athanas. Orat. 3. cont. Arrian. Petrus  
vero adorare volentem Cornelium inhibuit dicens: quoniam & ego homo  
sum. Disting. igitur 2. est, inter eum, qui immittit mala, aut etiam libe-  
rat ab his, ut Dominus; & inter eum qui tale quid exequitur, ut minister,  
quam distinctionem ipsi inculcant angelii, Gen. 19. 13. Jam limito maj.  
Qui exoratur, ut avertat mala ab impiis promerita, scil. ut Dominus po-  
testatem habens, ille hoc ipso religiosè invocatur; concedo: sed mino-  
rem nego. Ratio, quia non SS. Angeli, sed unus ex illis est exoratus, ille  
vero fuit Dominus, & natura Deus, quod ex textus ipsius constat docu-  
mentis: nam Abraham & Loth dicuntur in oculis ejus invenisse gratiam,  
velut gloriose & misericordis Domini Gen. 18. 3. c. 19.19. Abraham voca-  
vit Dominum suum v. 30.31. & passim; coram quo est pulvis & cinis, v. 27.

*ad quem, clamor Sodomorum pervenit, v. 21, quem ipsi Angeli, cum de-  
creatibus sermo est, vocant Dominum, qui misit illos, ad perpendum impios.  
c. 19.13. conf. v. 24. Hæc & similia an velint Pontificii, in creaturam trans-  
ferre, viderint ipsi. Vid. Gerh. L. de morte. §. 460.*

§. 3. II. *Quibus Apostoli cultum exhibuerunt, illi etiam hodie licet colli-  
possunt: Ipsi enim actio est nostra institutio. Atq; SS. Angelis, Apostoli  
cultum exhibuerunt, Act. 27.23. Ergo Resp. i. Argumentatio procedit  
affirmativa, à genere ad determinatam speciem, videlicet à cultu, ad cultum  
religiosum, de quo jam quæstio est, 2. Nego Min. Ad. probat. dico: in  
textū habere vocem λατρεύω, qua secundum Papistas, notatur cultus  
solii Deo debitus, & in N.T. nunquam usurpatur, nisi pro cultu solius Dei,  
dicente Bell. l. 1. de SS. B. c. 12. n. 13. ergo creature sit idolatria tribui  
non potest. Rectius igitur articulus & cuius, ad nomen proxime präce-  
dens, videlicet Deum refertur, ut sit seus: adstitit mibi hæc nocte angelus  
Dei, cuius (scil. Dei) sum ego, quem (Deum) & colo. Vid. Gerh.l.c. §. 474.*

§. 4. III. *A quibus licet precari possumus aliis dona spiritualia, ntpote  
gratiam & pacem, illos etiam licet cultu religioso adorare possumus: hoc  
ipso enim quando tale quid facimus, Angelis cultum religiosum defe-  
rimus. Atqui à SS. Angelis licite precari possumus aliis dona spiritualia, e  
exemplum imitati S. Johannis, Apoc. i.v. 4. Erg. &c. Resp. i. In dubiis re-  
ligionis dogmatibus, quale de Invocatione Angelorum est, qui Christianè  
candidè atq; serio vult agere, & non cum religione ludere, merito debet  
cavere, ne probationis fine adducat dicta incerta interpretationis, eaque  
in prima acie collocet neque enim disputamus, ut in infinitum litige-  
mus, sed ut disputando aliquando ad veritatem perveniamus. Jam vero  
Apocalypsin tot continere mysteria, quæ pene verba vulgata est Dd. senten-  
tia. Nihil hic adhuc habemus certi, nisi vel quod ex eventu innovuit,  
vel cum aliis Biblicis libris, clarius rem proponentibus, Apocalypsis com-  
mune habet, cætera, quæ huic libro sunt propria, adhuc in mysterio  
abscondita latent, quæ nemo nisi spiritu propheticō, qualis & liber est,  
e. 22.7-9. donatus, in hæc vita exponere valebit. Igitur Pontificii, quia  
aliorum librorum suffragiis destituti, in hoc solo, præcipuum suæ sen-  
tentiae robur collocant, desperatae causæ manifesta produnt indicia.  
Nos per septem illos Spiritus, arbitramur intelligendum spiritum S. cu-  
jus dona septiformia, hoc est multi plicia, Esa. 11.2 1. Pet 4,10. non septem  
tantum Asiaticas, sed & omnes, in toto orbe Ecclesiæ exornant, Adver-  
sarium*

riorum interpretatio, variis difficultatibus est implicata, ut copiosè ostendit D. Gerh. l.c. §. 476. cui insuper hoc oppono argumentum: *O interpretatio scripturæ, contra scopum & intentionem Autoris prolata, est incongrua: quia interpretatio nihil aliud est, quam verius sensus, in sententia latentis, secundum Scriptoris intentionem manifestatio.* Expositio hujus loci pontificia, est interpretatio scripture, contra scopum & intentionem Autoris prolata. Erg. &c. Minor: quia ipse B. Johannes, annotando cap. 22.v.9. quod Angelus aversaretur, cultum sibi delatum, significare voluit, Angelos licite adorari non posse, unde facile colligitur, eum qui ex Apocalypsi Angelorum invocationem stabiliter tentat, multum abire ab intentione Apostoli. Athanas. Orat. 3. cont. Arrian. Angelus quoq; Johannem in Apocalypsi se adorare volentem, non admisit, dicens, vide ne feceris. Rationem hujus in sequentibus dat, eò quod sint creature, & in clasibus non adorandorum, sed adorantium se computari debere agnoscant. Bell. ipse l. 1. de SS. B. c. 14. Angeli ante Christi adventum se adorari ab hominibus pariebantur. (Sed quales bonian mali, ubi, à quibus & quomodo, nec dicit, nec quod dicit sufficienter probat.) At postquam homo Deus factus est, & omnes Angeli hominem in Christo adorare cœperunt, noluerunt ipsi ab hominibus adorari & præcipue ab Apostolis, aliusq; summis viris. At si ab iis Johannes dona coelestia gratiæ precatur, quomodo non ab eo adorantur? Magis Catholice olim senserunt & locuti sunt. Irenæus l. 2. c. 57. Nec invocationibus angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec aliquâ præraya curiositate, sed mundè, & purè & manifestè orationes dirigentes, ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi. Athanas. Orat. 4. cont. Arrian. Nunquam enim quisquam precaretur accipere à Deo & ab Angelis, aut ab ulla rebus creatis, nec quisquam hanc verborum formulam concipit: *Dei tibi Deus & Angelus.* Epiph. dum Hær. 79. n. 7. in praecedentibus edisseruisset, Mariam non esse adorandam, subdit: adeo ut nec Angeli ipsi tanto honore pares esse videantur. Hieronym. Epist. 53. advers. Vigilante. ad Riparium. t. 2. Nos autem non dico Martyrum reliquias. Sed ne solem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in praesenti seculo & in futuro, colimus, & adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula. Augustin. l. de Ver. Relig. c. 55 Recte itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adorares, sed unum Deum, sub quo esset & ille conservus. Mirum protecto est, hos SS. & Catholicos PP. tam

jejunè tractass. sacras literas, ut dum eorum, quæ ultimo Apocalyp. cap. enarrantur, meminerint, eorum quæ de SS. Angelorum invocatione c. i. proponuntur, planè oblii. sint, & quod pene intolerabile est, cum vicini ipsis essent Apostolis, tam legnes tamen in conservandis apostolicis dogmatibus reperti sint, ut non solum nescirent amplius, Angelos religiosè esse invocandos, sed quod maius est, contrarium plane doceant. Hæc est illa subinde a Jesuitis jactata Papalium dogmatum, cum antiqua Catholica Ecclesia, harmonia!

§.5. Pro religiosa SS. demortuorum, in ecclis cum Christo regnatum, Invocatione, argumentum I. Per quorum merita invocatur Deus, & placatur ira ejus, illi licet religiosè invocantur. Atqui per SS. de mortuorum merita invocatur Deus, & placatur ira ejus Exod. 32. v. 13. s. Ergo & Resp. i. Vellicandæ hic sunt adversiorum aures, & hypotheses, quas defendant, ipsis ob oculos ponendæ. Docent enim, quod Patriarchas & alios V. T. SS. usitatum non fuerit religiose invocare, èo quod tunc fuerint in Lymbo, à beatifica Dei visione prorsus exclusi Ita certe strenui Papatus defensores. Eckius. Valentia, Salmeron. Bellarm. quos citat D. Gerh. l. c. §.461. deinde defendunt Invocationem SS. publico Ecclesie testimonio, & R. P. Canonizatorum hoc est in SS. catalogum relatorum, quos solos publicè invocandos, contendunt, licet privatim etiam non Canonizatos, invocare concedant, quadere Bell. l. i. de B. SS. c. 7. Nonne autem hæ hypotheses, omnia ex V. T. pro SS. Invocatione petita argumenta evertant, & contra, unusquisq; facile judicare potest. Quando enim ex hoc, contra nos Adversarii pugnant, argumenta, quæ maximi videntur esse roboris petita sunt abinvocantium exemplis, ut ex præsenti arguento, & in subsidium ejus, citatis à Bell. scripturæ locis, ac quamplurimis aliis, satis est manifestum. Jam vero inter exempla, similitudinem atq; convenientiam aliquam esse oportet. At excusat quis exempla, quæ ab Adversariis urguntur, convenientiam nullam inveniet: farentur siquidem non suisse usitatum in V. T. Invocationem SS. Atq; sic Moses ad Dominum dicens: Recordare, Abraham, Isaac & Israel &c. exemplum Invocantis SS. non præbuit. Si hoc, quomodo igitur ex exemplo non Invocantis SS. stabilitur SS. religiosa invocatio? quis sanæ mentis homo hanc concedet collectionem. Moses non invocavit SS. ergo SS. Demortui in N. T. sunt religiosè invocandi, non enim alia, ut patet, quam hæc, per ultimam resolutionem collectio prodire potest. Ceterum utar formâ Syllogistica;

Religio-

*Religiosa SS. V. T. invocatio probat SS. religiosam Invocationem in N. T. usitatam: ad hoc enim cumulant scripture testimonia. Religiosa SS. V. T. invocatio non fuit in N. T. usitata, ut constentur & defendant adversarii. Ergo Quoddam quod non fuit in V. T. usitatum, probat SS. religiosam Invocationem in N. T. usitatam. Has nugas quibus se ipsos implicant adversarii, qui non videt, ille sine dubio, talpa, Tiresiaq; caccior est! Resp. 2. Negando maiorem: Expendat eam quis diligenter, nihil inveniet, quod vel probabiliter suadeat, illum, per cuius merita, (posito legitimam hanc esse invocandi formam) Deus invocatur, ob id, vel hoc ipso religiosè invocari? annon si hic esset Deo gratus Invocandi modus, quis posset per merita vivorum, præcipue perfectè SS. & operibus supererogationis divitum, Deum exorare, perinde ac mortuorum? neq; tamen hoc ipso illos religiosè coleret, nec ut puto, ob id, adversarii, colendos statuerent. Resp. 3. Ad prob. Minor. in illa committi vitium pseudhermeneiæ: non enim l.c. Deus per SS. merita invocatur, sed allegatur, & in memoriam revocatur gratuita Dei promissio, de multiplicando semine, & excitando Messiam, ex posteritate eorum, ut ipsa verba Textus habent, adeo ut vanissimum sit, cum Bellarmino merita SS. cum his conjungere Vid. D. Gerh. l.c. §. 455.*

**§. 6.** II. Pro quâ re expressum in scriptura extat mandatum, illud licet facere possumus, inò debemus. Atqui ut SS. demortui religiosè invocentur, in scriptura expressum extat mandatum: Gen. 48. 16. Erg. &c. Resp. 1. ex §. 5. n. 1. 2. Nego Minorem: Ad probat. dico: (1.) Processum institui, à genere affirmative, ad determinatum, speciem scil ab invocatione, ad invocationem religiosam. Cur non potius inde colligunt, memorialem, vel civilem compellationem, Veteri Ecclesiæ usitatam? (2.) Malè legit vulgata versio, invocetur, pro vocetur, ut agnoscat Vatablus, & multi alii ex Pontificiis, quos citat D. Gerh. L. de Morte §. 461. quâ loquendi formulâ Hebræis usitata, factente Jesuita Fonseca Jacob voluit, ut pueri isti vocarentur nomine ejus, filii Jacob, & filii Abraham, Isaac, Conf. Esa. c. 4. 1.

**§. 7.** III. Quicunq; mandat ac permittit compellare vivos, ille non prohibet religiosè invocare defunctos: quia nulla ratio dati potest cur honorem, quam pliis in hac vita deferimus, SS. demortuis, longè majori dignis, denegemus. Atqui Scriptura Sacra mandat ac permittit compellare vivos. Rom. 15. 30. 2. Corinth. 1. u. & passim. Erg. &c. R. 1. Fonseca l. 6. Inst. Dial. c. 2. bona consequentia hanc ponit regulam: Si id, quod contradicit consequenti, repugnat etiam antecedenti, legitima erit consequentia, si secus, viatio-

ſc.

sa. Quia igitur in hac collectione secus se res habet, bona consequentia carret. Quis enim non videt, has posse simul stare: SS. demortui licet religiosè non invocantur, & Pii in hac vita licet compellantur. 2. Collectio procedit à positione unius speciei, ad positionem alterius, videlicet à positione compilationis civilis, ad affirmationem religiosæ adorandi, ut ad hunc ferè modum: Princeps est civiliter colendus, Ergo Immaculata religiosè adorandus, vel sic: Episcopus in hac vita est compellans. Petrus in altera vita est latrā, aut saltē Hyperduh. Adversarii colligunt, ex civili vivorum compilatione, mortuorum cultum, concedimus totum argumentum, tunc tamen non tangitur statutus controversiae ut d. i. §. 5. dictum.

§. 8. IV. Qui sunt amici Dei, & Principes mundi, illi sunt cum Deo religiosè colendi: et quum enim est honorare amicos Dei, & quod major honor fuerit, eò Deo gratior. Atqui SS. Demortui sunt amici Dei, & Principes mundi. Ps. 139. 17. Erg. &c. R. 1. Major non est sufficienter distributa: nam etiam vivi fideles sunt amici Dei, & Reges terræ, qui serviant Domino, ob hoc tamen religiosè adorandi non sunt. Ad probat. dico: Cur SS. divinum honorem non tribuunt, si honor quo major est civili, eò Deo gratior? 2. Ad probat. Min. dico: Vulgatam versionem ubi, hic certè à fontibus tantum recessisse, quantum cœlum à terra, quod vel Pagninus, vel Aria-Montanus satis ostendunt, qui sic legunt: Mibi quam pretiosæ fuerunt cogitationes tuæ o Deus! quam invaluerunt earum summae. Ubi ne mentio quidem sit amicorum Dei, vel Principum mundi, ut ut SS. non negemus esse amicos Dei. Vid. Gerb. l.c. §. 465.

§. 9. V. Qui orationes fundunt ad Deum, pro incolumitate viventium, illi sunt religiosè adorandi: At ss. demortui Jerem. 15. 7 Baruch. 3. 4. Orationes fundunt ad Deum pro incolumitate viventium. Erg. &c. Resp. 1. Mirum est, quod Adversarii dimissâ majore, tanquam extra omnem controversiam positâ, sudent in probatione minoris, cum tam illa majori egeat subsidio, quam haec. Quis sanus concederit, quod is, qui pro altero orat, mox sit religiosè adorandus? Cultus religiosus est divinus, ob nulla merita creaturæ conveniens adegut ipse Bell. l. 1. de Christo. c. 8. ex eo, quod Ecclesia in toto terrarum orbe, Christum colat templis, aris, invocationibus, festis diebus, probet divinitatem Christi, quod argumentum nullius fuerit ponderis, si cultus religiosus merita creaturæ competere possit. 2. Eodem morbo laborat hujus major quo argumenti precedentis: nam si ea universaliter vera est, vivi, à demor-

demortuis in purgatorio sudantibus, erunt religiosè colendi, pro quibus & orant in Papatu; & misas celebrant. 3. Adprobat. Minoris, Jeremias non dicit quod Moses & Samuel stent coram Domino deprecantes, pro peccatis populi, sed ait, si vel maxime starent & orarent ad eum modum ut fecerunt, cum in vivis essent, non transmitteret Dominus abominandum Idolatriæ nefas impunitum. Tandem testimonium Baruch, non est Propheticum, liber enim hic est Apocryphus, ut suo loco ostenditur, & probat D. Gerb. l.r. §.467.

§.10. VI. Quod factum scriptura commendat, illud homini Christiano imitari licet. At accessum ad Christum per internuncios scriptura commendat. *Luc.7. 3. 6. Erg. &c. Resp. 1.* Ipse Salmeron, cuius hoc argumentum est, citante D. Gerb. L. de Morte §. 474. scribit: *In evangelio & epistolis nihil habetur expressum de Invocatione SS. sed demum in Apocalypsi.* Hoc si verum est, quâ fronte ex Evangelio Lucæ audet contra nos argumentari? 2. Major nisi limitetur, infinitis exposita est instantiis: nam & jejunium Salvatoris nostri 40. dierum & noctium, & miraculosa Petri, aliorumq; Apostolorum, malè habentium, sanatio, mortuorum excitatio, in scriptura commendantur, nemo tamen illa imitari præsumit. Limitanda igitur est: Quod scriptura commendat, & ad imitandum proponit &c, & sic eam concedo; sed Minorem nego, non quidem simpliciter: nam si internuncii illi fuerint homines pii, suas preces ad Salvatorum fusas, cum nostris conjungentes, illos libenter habemus, si vero morui, quos nobis extra scripturam proponunt Papista, & quidem ut auxiliatores, mediatores, & coadjutores redemptiois nostræ, religiosè colendos, de quo cultu unicè controversia est: merito repudiamus. Nec hili sunt protestationes, quas hic interdum adversarii instituunt, se SS. non aliter, quam intercessores invocare: hoc enim jam diu à nostris, adductis in medium propriis ipsorum testimoniis est repudiatum. Pauca ex his adducam. Catechismus Rom. Jussu Pii V. P. R. editus, c. 6. q. 3. ad SS. recitare jubet Orationem dominicam, qui est modus colendi solum Deum, à Salvatore præscriptus Matth. 6. 9. in ipsis spem, Ps Mar, Ps. 30. & fiduciam cordis collocant, Bell. I. 1. de SS. B. c. 20. Illos ut opitulatores, & auxiliatores, Conc. Trid. Ses. 14. à peccatis redemptores, Marial, Argent. l. 2. c. 5. ab æterna damnatione liberatores. Barrad. hort. anim. suff. Apost. invocant. Salmeron. B. V. Mariam. t. 10. tract. 41. corredemptricem nostræ liberationis vocat. Ex hoc fonte natum est, illud valde pium, judicio

B

Nicolaï

Nicolai Jansenij, & Adam. à Contzen, in jubilo jubilorum, carmen  
Caroli Scribanij Jesuitæ, in amphitheatro honoris, l.3. c.8. quo majori  
affectu apprehenditur lac Mariæ, quam sanguis Christi: Hæreo lac inter  
meditans, interg, ctruorem; inter delicias, uberis & lateris. Rem scio, prensa-  
bo si fas erit ubera dextrâ: Leva prensabo vulnera si dabitur. Lac matris  
miserere volo, cum sanguine Nati, non possum antidoto nobiliore frui. Multo  
plura testimonia videri possunt, apud D. Gerh. l.c. §. 435. Si vero recen-  
tiores Jesuitæ correxerunt mentem, compescant & linguam, abusus, ac  
idolatricos cultus ex Ecclesia Dei tollant, nec amplius eos sub pigmentis  
& verborum involucris, in perniciem multarum animarum delitescere  
patientur. 3. Ad Probat dico: non intercedendi modus, sed fides com-  
mendatur Centurionis, l.c.v.9. per quam, quod petiit assecutus est, qua in  
remerito ipsum imitari debemus.

§. II. VII. Quod olim multis fidelibus salutare atq; fructuosum extitit,  
illud hodie licite imitari possumus. Atqui religiosa SS. invocatio multis fidel-  
bus salutaris atq; fructuosa extitit: Nam alii dicente Bécano, Manual. l.1.c.7.  
n.1 sanitatem corporis, alij donum castitatis, alij profectum in studiis, alij alia  
beneficia per SS. intercessionem à Deo impetrarunt, ibidem vocat ad testi-  
monium Ambrosij, Augustini, Theodoreti. Erg. &c. Resp. Supponendo,  
majorem loqui de iis, quæ religionem Christianam, & cultum Dei concer-  
nuat; limito eam: Quod salutare multis extitit, & revelata Dei  
verbo innititur, illud hodie licite imitari possumus, sic intellectam con-  
cedo. Atqui religiosa SS. demortuorum invocatio, fidelibus salutaris  
extitit, & revelata Dei verbo innititur, nego. Ad Probat. dico 1. Posito  
quosdam fideles olim SS. religiose invocasse, & post invocationem  
etiam id quod petierunt, assecutos fuisse, nondum tamen sequitur illa  
ipsa effectum harum precum fuisse. Unde enim de eo nos certos facient,  
cum pro eâ re, nec divinam revelationem proferre, nec ad miniculō sen-  
suum, aut ulla alia ratione id probare possint. Provocat quidem Bécanus,  
ad quotidianam experientiam, sed quam frigidè eam explicet, cæcus sit,  
qui non videat, quæ enim est consequentia, homines multa beneficia per  
SS. intercessionem à Deo impetrant, ergo quod assequantur, illud est pre-  
cum istarum effectus. Nonne ipsi Pontifici, cum invocatione SS. con-  
jungunt invocationem Dei, quâ, licet per omnia non sit legitima, ipse  
pro sua benignitate petentibus se exorabilem præbere possit? Quicquid  
tamen sit hujus rei, hic profecto Pontifici in probatione deficiunt, si qui-  
dem,

dem aliud proferre non possunt quam post orationem, nudam alicujus boni consecrationem, ex quā si quis velit assecutum bonum, ad petitio-  
nem ut causam referre, anno eodem acumine, cui libet inferre licet, gentilium eximia dona, cuius superstitionis paganæ effecta. Si hoc, quo-  
modo Pontificii, gentilibus noadum conversis, contra quos Dd. Ecclesiæ, pro Christiana religione pugnandum fuit, respondissent, si hoc ipso argumento, cultum suorum Deastrorum defendissent? Alexandri M.  
preces, erant, inquit Curtius l. 4. Jovis, Minervæ, Vitoriæq; invocatio quam insignis illa præda, Orientis possessio secura est. Si vero Christiani suas preces, in fide & timore Domini peragunt, tunc precandi formulam ex fidei regula, verbo scil. Dei necessum est ostendant. 2. Catholicorum PP. testimonia, SS. demortuorum religiosam Invocationem vel pro-  
bantia, vel non frustra fuisse institutam, testantia, adversarii jactant,  
sed nulla proferunt. Nos citatos PP. contrarium sentire, probamus ipsorum verbis, Ambros. l. 3, de Sp. S. c. 12. Ac ne quis hoc derivet ad Mariam Virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi, & ideo solus ille adorandus, qui operabatur in templo. August. l. de vera Religione c. 55. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales querant honores, sed illum à nobis coli volunt quo illuminante latantur, meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Quid clarius & verius dici potuit? Theodoret. de curand. Græcor. aff. Etib. serm. 2. t. 4. Nos autem nihil eorum, quæ oculis cernuntur, Deum facimus. Hominibus autem qui virtute aliquâclaruerunt, ut optimis viris, honores deserimus. Solum vero adoramus universorum Deum ac Patrem & illius Verbum, ac Sanctissimum Spiritum. Plura aliorum Patrum testimonia in hanc rem jam supra hinc inde ci-  
tavi, ex quibus Disputatori veritatis cupido, cum orthodoxia nostrâ dogmatis, cum Catholicorum PP. sententia, satis innotescere potest.

**P**lurima constanter voluisse & habere cerebro,  
At non ferre foras posse, puto esse nihil.  
Rectius ipse facis, docto dum gutture profers,  
BABA T I præstans, dona reposta animo.  
Inseret en albo manibus te Musa peritum  
Latis, quin justo tempore ferta dabit:

L. M. Q.

fe.

Daniel Michael, S.Th.D. & ejusdem P.P.

**P**restat scire tuum nil, nisi scire te Extare Ecclesiae Te column : Tibi  
 Hoc, alter sciatur, Ergo Tibi, doctior In plures juvenem surgere gloriam.  
 Babati, merito gratulor, & precor : Ramos cottidie. Lux uriet novum  
 Faxint summa Deum numina, mox sue Canos fama dies vincere nomine.  
 Sic politiss, atq; eruditiss. Dno, Respondenti, amico  
 meo conjunctissimo beatoe animitus

Johannes Guntherus, Nörnberger  
 LL. Stud.


Kling-Gedicht.

**S**owirb denn abermal/ Herr Babat/ heut gesaget  
 Dass ihr bemühet seyd/ der falschen Lehre Krafft  
 Von Anruffung der Heiligen Geessenschafft.  
 Zu wider legen? wohl! dass Ihr Euch so entschlaget  
 Von dem was niedrig ist und Eure Sinne trage  
 Ins hochbestirnte Haus zur klugen Wissenschaft/  
 Ein Geist der Fewer fühlt wird täglich weggerafft  
 Von vielen Müssiggang/der manchem sehr behaget:  
 Euch ist Er unbewüst/ drum rühm ich ewren Fleiß/  
 Und helfe stäcken Euch den nimmerdürren Preis/  
 So viel mein schlechter Vers vermag von sich zureichen.  
 Doch wer bin ich? weis andre rühmen ewren Sinn  
 Den ich das Wasser nicht zureichen würdig bin  
 Die geben Euch das Lob/ das nimmer wird erbleichen.

Samuel Birth.

**S**Emina virtutum tibi & hinc innata Parentis  
 Auguror, & video prodita flore novo;  
 Felix ingenii, sic te mansura per ævum  
 Ad præcelsa poli sidera fama feret.

Reinholdus Perbandt,  
 Regiom. Borussus.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn738562580/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738562580/phys_0015)

DFG



dem aliud proferre non possunt quam post o-  
 boni consecrationem, ex quâ si quis velit alle-  
 nem ut causam referre, anno eodem acumin-  
 gentilium eximia dona, fuisse superstitionis pa-  
 modo Pontificii, gentilibus nondum conver-  
 sis, pro Christiana religione pugnandum fuit,  
 argumento, culum suorum Deastrorum de  
 preces, erant, inquit Curtius l.4. Jovis, Minervi  
 insignis illa præda, Orientis possessio secuta e-  
 preces, in fide & timore Domini peragunt, t-  
 ex fidei regula, verbo scil. Dei necessum est osti-  
 PP. testimonia, SS. demortuorum religiosa  
 bantia, vel non frustra fuisse institutam, tes-  
 sed nulla proferunt. Nos citatos PP. con-  
 iporum verbis, Ambros. l.3, de Sp. S. c.12. Ac  
 am Virginem: Maria erat templum Dei, non De-  
 adorandus, qui operabatur in templo. August. l. d-  
 sit nobis religio cultus hominum morruorum, qui  
 bentur ut tales querant honores, sed illum à nobis  
 lœtantur, meriti sui nos esse conservos. Honorand-  
 nem, non adorandi propter religionem. Quid clara  
 Theodoret. de curand. Græcor. affectib. serm.  
 corum, quæ oculis cernuntur, Deum facimus. Ho-  
 aliquā claruerunt, ut optimis viris, honores dese-  
 univerorum Deum ac Patrem & illius Verbum,  
 Plura aliorum Patrum testimonia in hanc re  
 tavi, ex quibus Disputatori veritatis cupido  
 dogmatis, cum Catholicorum PP. sententia,

PLurima constanter voluisse &  
 At non ferre foras posse  
 Rectius ipse facis, docto dura gutta  
 BABATI præstans, do-  
 Insaret en albo manibus te Musa  
 Latis, quin justo tempore

Daniel Micha




Image Engineering Scan Reference Chart TEX33 Serial No.

iusdema P.P.